

te aliquo concipi potest determinatio intrinseca nisi quæ vel sine alio assumpto intelligi potest, aut non potest; evidens est omnem determinationem intrinsecam, vel qualitatem esse, vel quantitatem.

V. Qualitates aliæ sunt *primitivæ*, quibus scilicet nullæ aliæ priores in ente concipi queunt, ac proinde quarum reddi non potest ratio cur insint. Aliæ qualitates sunt *derivativæ*, quarum reddi potest ratio per qualitates alias cur actu insint vel inesse possint. Rursus qualitates derivativæ vel sunt *necessariæ* vel *contingentes*. Necessariæ sunt quæ rationem sufficientem in qualitatibus primitivis habent cur actu insint; contingentes autem dicuntur, quæ in primitivis rationem habent duntaxat cur inesse possint. Igitur qualitates primitivæ ipsam rei essentiam constituunt; derivativæ necessariæ inter attributa referri debent, derivativæ autem contingentes ad modos pertinent. Prolixius, quam par est, in scholis disputari solet an qualitates a substantia realiter distinguantur: hæc controversia, si qualitatis nomen accurate definiatur, statim evanescit; etenim qualitates primitivas vel etiam derivativas necessarias ab ipsa substantia realiter non distingui, evidens est; secus vero si fuerint derivativæ contingentes. Idem etiam querere solent scholastiци de quantitate, utrum scilicet quantitas a substantia corporea distinguitur; verum hæc quæstio connexa est cum alia, quam de corporis essentia instituunt physici: quare hac de re in alio opportuñori loco tractabimus.

A R.